



Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicæ, & Legales

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici, & Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur, Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris novem ...

De Sacrosancto Missæ Sacrificio Decisiones

Chiericato, Giovanni Maria

Augustæ Vindelicorum, 1730

Auctoris Ad Ven. Patavinum Clerum aliósque eruditos Lectores. Parænesis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94659](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94659)

AUCTORIS

AD VEN. PATAVINUM CLERUM

aliósq̃ue eruditos Lectores.

PARÆNESIS.

Ardè quidem in lucem prodeunt hæc de SACROSANCTO MISSÆ SACRIFICIO Decisiones, in quibus novem ab hinc annis studia vestra impendistis, eaque mihi, tunc in Episcopali Curia Præsidenti, mandastis; sed veniam meretur & opus, & Auctor, pluribus aliis occupatus laboribus, inter quos EROTEMATUM Liber, qui ad instantiam plurimorum huic antecessit. Cæterum tarditatem Decisionum harum compensabunt eruditiones, quibus politæ reperientur: ita tamen, ut ad instar monilium, & inaurium, quibus cum Annulis, & Micra, aureaque veste ornata incescit Regina Esther, in nihilo Sanctitati hujus materiæ sit derogatum. Subjectum præsentis Operis est Sacrosanctum MISSÆ Sacrificium, in quo Victima, quæ immolatur, est CHRISTI US DOMINUS, & de eodem juxta Scholasticam, & Moralem Theologiam exponuntur, quæ ejusdem Sacrificii veritatem, essentiam, fructum, actionem, applicationem, aliaque intimiora ipsius Sacri operis concernunt. Ad ornatum verò ejusdem congesta est non inutilis, nec injucunda noticia Mystarum, ac Sacrificiorum Legis Naturæ, ac Moysæ, Tabernaculi, ac Templi descriptio, Levitarum omnium ordinum declaratio, aliarumque plurium religiosarum personarum ad Divinum cultum spectantium expositio; ut studiosi Lectores, quæ longa serie annorum, & verborum Chronologi sacri disputant, compendiose in harum Decisionum lectura comprehendant. Sequuntur postea plurima, quæ nunc in Legge Gratiæ necessaria sunt ad dignè litandum, Tempa, Altaria, eorum ædificatio, consecratio, & dum polluuntur reconciliatio, aliaque accessoria, idest Campanæ, Campanilia, Horologia, Organa, Supellectilia Sacra, in quarum provisione, ac manutentione ad quem spectent expensæ, juxta Sacros Canones, & forensium doctrinam breviter, sed lucidè demonstratur. Tandem de ornatu Sacerdotum differitur, videlicet de conscientia puritate, Tonsura, Veste talari, ejusque colore, de Matutini, ac Laudum præmittenda recitatione; observatione Rubricarum, nec non de Sacrarum Vestium mysteriis, tali methodo, ac forma, ut Lector mysta absque tædio instruat, atque erudiat exemplis, ac Historiis non injucundis. Quod verò ad me attinet, benignitas studiosorum, qua præteritas Decisiones amplexati sunt, ab omni censura non benevola securum facit, prout tot mihi exhibentur testimonia, quot applausus à doctissimis Viris his, & cæteris meis retribuantur impressis Libris. Valete,

TENOR